

xxij	<i>Proprium sanctorum.</i>	
	Vel <i>De octo Beatitudinibus.</i> Tom. 1, pag. 232	
2.	Commemoratio fidelium defunctorum. <i>De purgatorio.</i> Tom. 1,	141
	Sancti Caroli. Tom. 2,	577
11.	Sancti Martini. Tom. 2,	581
13.	Sancti Stanislai Kostkæ. Tom. 2,	583
21.	Præsentatio beatæ Virginis. (<i>Med. de Nativitate et vitâ usque ad Annuntiationem. Punct. 3 et seqq.</i>) Tom. 1,	167
25.	Sanctæ Catharinæ. Tom. 2,	585

DE COMMUNI.

	<i>Pro festis Sanctorum.</i> Tom. 2,	289
	<i>Apostolorum.</i> De vocatione apostolorum. Tom. 1,	266
	<i>Evangelistarum.</i> Missio discipulorum. Tom. 1,	304
	<i>Martyrum.</i> De sermone Domini in monte. (<i>Pars prior, seu de 8 Beatitud.</i>) Tom. 1,	282
	<i>Confessorum.</i> De talentis. Tom. 1,	431
	<i>Doctorum.</i> De triplici munere apostolico. Tom. 1,	292
	<i>Virginum.</i> De decem virginibus. Tom. 1,	428
	<i>Non Virginum.</i> De negotiatore margaritarum. T. 1,	401
	<i>In dedicatione Ecclesiæ.</i> De Zachæo. Tom. 1,	350
	<i>Pro sacerdotibus.</i> De potestate sacerdotali conficiendi Eucharistiam. Tom. 2,	49
	<i>Pro religiosis.</i> De bono statu religioso. Tom. 2,	441
	<i>Pro renovatione votorum.</i> 1. Religiosi reformatio in renovatione votorum. Tom. 2,	588
2.	Idea religiosæ reformationis. Tom. 2,	591
3.	Defectus luminis spiritualis practici. Tom. 2,	595
4.	Defectus amoris Jesu Christi. Tom. 2,	598
5.	Levitas et inconstantia. Tom. 2,	601
6.	Tepiditas. Tom. 2,	604

INDEX

AD EXERCITIA SPIRITUALIA.

PRIMO DIE.

1. **M**EDITATIO. De ultimo fine hominis. T. 1, pag. 27
De Imitatione Christi. Lib. 3, cap. 9.
 2. *Medit.* De triplici peccato, angelorum, Adæ, et particulari quocumque. Tom. 1, 32
De Imitatione Christi. Lib. 1, cap. 21,
 3. *Medit.* De gravitate peccatorum ex multitudine et pugnantiâ cum ratione. Tom. 1, 37
De Imitatione Christi. Lib. 4, cap. 7.
- Consideratio.* De missæ sacrificio, sacrâ communionem, et visitationem SS. Sacramenti. Tom. 2, 608

SECUNDO DIE.

1. *Medit.* De gravitate peccati ex vilitate hominis; ex Dei offensi excellentiâ. Tom. 1, 39 et 41
De Imitatione Christi. Lib. 3, cap. 8.
 2. *Medit.* De mortis proprietatibus. *Et:* De iis quæ angunt moribundum. Tom. 1, 47 et 49
De Imitatione Christi. Lib. 1, cap. 23.
 3. *Medit.* De corpore animâ destituto. Tom. 1, 54
De Imitatione Christi. Lib. 1, cap. 23.
- Consideratio.* De examine conscientiæ, et confessione sacramentali. Tom. 2, 611

TERTIO DIE.

1. *Medit.* De particulari iudicio. Tom. 1, pag. 50
De Imitatione Christi. Lib. 1, cap. 24.
 2. *Medit.* De inferno. *Et* : De penâ sensûs et damni.
 Tom. 1, 74 et 78
De Imitatione Christi. Lib. 1, cap. 24.
 3. *Medit.* De filio prodigo. Tom. 1, 405
De Imitatione Christi. Lib. 1, cap. 25.
Consideratio. De oratione mentali, cæterisque precipuis. Tom. 2, 613

QUARTO DIE.

1. *Medit.* De Christo Rege invitante ad sui imitationem.
 Tom. 1, 154
De Imitatione Christi. Lib. 1, cap. 1, et lib. 3, cap. 32.
 2. *Medit.* De Nativitate Christi. Tom. 1, 201
De Imitatione Christi. Lib. 2, cap. 8.
 3. *Medit.* De Circumcisione. Tom. 1, 207
De Imitatione Christi. Lib. 3, cap. 12.
Consideratio. De lectione spirituali, sacrâ concione, et communicatione cum directore. Tom. 2, 616

QUINTO DIE.

1. *Medit.* De fugâ in Ægyptum. Tom. 1, 221
De Imitatione Christi. Lib. 1, cap. 9, et lib. 3, cap. 13.
 2. *Medit.* De vitâ Christi usque ad annum trigesimum. Tom. 1, 231
De Imitatione Christi. Lib. 3, cap. 53.
 3. *Medit.* De generali vocatione hominum. Tom. 1, 265

D

ad exercitia spiritualia.

- De Imitatione Christi.* Lib. 3, cap. 56.
Consideratio. De statu et officio uniuscujusque, deque temporis usurâ. Tom. 2, pag. 618

SEXTO DIE.

1. *Medit.* De tentationibus Christi. Tom. 1, 257
De Imitatione Christi. Lib. 1, cap. 13.
 2. *Medit.* De sermone Domini in monte. Tom. 1, 282
De Imitatione Christi. Lib. 3, cap. 2. et 3.
 3. *Medit.* De Christi tristitiâ in horto. *Et* : De sanguine sudore. Tom. 2, 69 et 72
De Imitatione Christi. Lib. 3, cap. 29, et lib. 2, cap. 11.
Consideratio. De virtute, cui studere potissimum debemus. Tom. 2, 620

SEPTIMO DIE.

1. *Medit.* De flagellatione. Tom. 2, 106
De Imitatione Christi. Lib. 2, cap. 12.
 2. *Medit.* Mysteria in Christo crucifixo. Tom. 2, 124
De Imitatione Christi. Lib. 4, cap. 8.
 3. *Medit.* De resurrectione Christi. Tom. 2, 167
De Imitatione Christi. Lib. 3, cap. 47.
Consideratio. De conversatione. Tom. 2, 623

OCTAVO DIE.

1. *Medit.* De cœlesti gloriâ, ut respondet octo beatitudinibus. *Et* : Ut datur vincenti. T. 2, 450 et 453
De Imitatione Christi. Lib. 3, cap. 48 et 49.

b

xxvj *Index ad exercitia spiritualia.*

2. *Medit.* De quatuor excellentiis divinæ amicitiae.
Tom. 2, 332
De Imitatione Christi. Lib. 3, cap. 5, 6 et 22.
3. *Medit.* De bonis statibus religiosi. Tom. 2, 441
De Imitatione Christi. Lib. 1, cap. 17 et 19.
Consideratio. De mortificatione. Tom. 2, 625

INTRODUCTIO

INTRODUCTIO

AD MEDITANDUM.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Oratio mentalis ?

ORATIO mentalis est exercitatio internarum animæ Quid sit.
rationalis potentiarum, nempe memoriæ, intellectûs,
et voluntatis, circa Deum, et mysteria potissimum fi-
dei, cum collocutione internâ et familiari ad Deum.
Unde quatuor habet partes.

Prima est exercitatio memoriæ, quâ Dei præsen- Partes Me-
tia adducitur ante oculos, et mysterium illud, circa ditationis.
quod meditandum est, per puncta distinctum memo-
ratur, et intellectui proponitur; cum fide vivâ ac fer-
venti ipsius mysterii, sine quâ languebit meditatio,
nec intelligetur, quod frigide creditur; juxta illud:
Nisi credideritis, non intelligetis. Isa. 7. 9.

Secunda est ratiocinatio intellectûs circa propo-
sitam materiam: tum, ut eam intimè percipiat; tum,
ut eliciat documenta virtutum, quæ voluntati amplec-
tenda proponat.

Tertia est concitatio voluntatis, ut res fert consi-
derata, eliciendo varios actus et affectus; vel erga
Deum, amoris, fiduciæ, gratitudinis; vel erga seip-
sum, odii, compunctionis, desiderii meliorum, et
similes: qui est finis meditationis.

DE ROX. Compend. I

A

Quarta est petitio eorum quæ meditando intelleximus nobis expedire: cum fiduciali colloquio, vel ad unam speciatim ex divinis personis, pro re natâ, et affectu; vel universè ad omnes. In petendo autem proferemus rationes, cur exaudiendi simus; quæ potissimum sunt tres. 1. Ex parte Dei, quia bonus, quia ipse amat nos, quia vult à se peti, quia sic glorificabitur. Et tandem per singulas ipsius perfectiones nominatim expressas, potest fieri obsecratio. 2. Ex parte Christi, obtendendo illius merita universè; tum sigillatim singula ejus mysteria, et actiones, passionisque; denique per ipsius virtutes, quibus placuit Patri, eundem Patrem obsecrando. Modò ipsum Filium rogando per amorem, quo nos amplexus est; per officium, quod gerit Mediatoris, per magnitudinem pretii quo nos redemit; et ipsum quoque Spiritum sanctum compellendo, pro eo amore, quo Christum prosequitur, ejusque merita: in quem sine mensurâ effusus est. 3. Ex parte nostrâ, prætensâ necessitate et miserâ maximâ; in iniquitatibus concepti sumus, intus urgemur à concupiscentiis, foris impetitur à dæmonibus, et à mundi illecebris provocamur; persequitur diabolus in nobis imaginem Dei, ut vel eo nomine debeat nos Deus ab injuriâ vindicare. Licebit hîc particulares necessitates, ac proprias sigillatim commemorare, ad divinam misericordiam magis permovendam. Aliquando etiam viri perfecti obtendere possunt obsequia; ut Ezechias:

4. Reg. 20. 3. *Memento, Domine, quomodo ambulaverim coram te in*

veritate; et Christus ipse: *Ego te clarificavi super terram, et nunc clarifica me, tu Pater.* Joan. 17. 4.

Atque modus iste orandi traditur ab Apostolo: *In omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innolescant apud Deum.* Philip. 4. 6. Nec istæ obsecrationes tam adhibentur ad persuadendum Deo, qui urget ipse et præcipit ut petamus, quàm ad excitandum in nobis fervorem devotionis, et impetrandi fiduciam, quo mereamur exaudiri. Consentit prædictis illa sancti Augustini sententia: *Meditatio parit scientiam; scientia compunctionem; compunctio devotionem; devotio verò perficit orationem.* Lib. de Spir. et An. c. 70. Etenim per meditationem homo in Dei, et sui ipsius cognitionem venit. Hinc compungitur, et erubescit de propriâ vilitate. Compunctus, in Dei misericordiâ et bonitate conquiescit dulciter. Hûc propectus, miscet colloquia cum Deo, necessitates exponens suas, fidenterque postulans auxilium opportunum.

CAPUT II.

De Modo colloquiorum.

IN colloquiis potissimum consistit oratio, quorum finis est duplex: alter confessio laudis divinæ, alter imploratio gratiæ. Finis colloqui duplex. Ad priorem pertinent quatuor affectus à Paulo recensiti. Primas finis. *Impleamini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus: cantantes et psallentes in cordibus vestris* Eph. 5. 19.

Domino ; gratias agentes semper pro omnibus , in nomine Domini nostri Jesu Christi , Deo et Patri.

Primus affectus : *In psalmis.* Hic est amor in Deum cum deliberata voluntate non discedendi minimùm ab illius mandatis. Hoc est psalterium decem chordarum , quod in oratione pulsatur , quando anima concipit alia atque alia desideria perficiendæ divinæ voluntatis.

Secundus affectus : *In hymnis.* Hic est admiratio et prædicatio divinarum perfectionum in se , et operum mirabilium extra se ; propter quæ Seraphim atque Cherubim incessabili voce proclamant : *Sanctus , Sanctus , Sanctus.* Adde tu : Bonus , misericors , sapiens , omnipotens ; et si quid aliud voles. Dicit illi cum senioribus : *Dignus est Agnus qui occisus est , accipere virtutem et divinitatem , et sapientiam , et fortitudinem , et honorem et gloriam , et benedictionem in secula seculorum. Amen.*

Et quia major est omni laude , invita omnes etiam inanimes creaturas , ad eum laudandum , ut fecerunt tres pueri in fornace ; et totus ipse in laudes effundere cum Davide , dicens : *Benedic , anima mea , Dominum , et omnia quæ intra me sunt , nomini sancto ejus.*

Tertius affectus : *In canticis spiritualibus.* Hic est gaudium et exultatio de divino bono in se : et quòd glorificatur à Sanctis in Cælo et in terra : illic per possessionem plenam , istic per spem. Undè dicunt : *Alleluia , quoniam regnavit Dominus Deus noster omni-*

potens , gaudeamus et exullemus , et demus gloriam ei.

Quartus affectus gratitudinis , *Agendo gratias* pro beneficiis acceptis ; necnon pro collatis in alios etiam , sive homines , sive Angelos ; quin in ipsa inanimata , quæ per se nequeunt gratias agere.

Alter finis colloquiorum est , *petitio gratiæ.* In petendo autem , variè affici possumus ; vel spiritu filiali erga Patrem , quæ ratione jussit nos orare : *Pater noster , qui es in Cælis ;* vel , ut mendicus à prædite peti : *nam Dives est in omnes qui invocant illum ;* vel , ut æger medico infirmitatem suam exponit ; vel ut discipulus à magistro edoceri cupit ; vel , si eò fiducia surgat , tanquam sponsa cum dilecto suo colloquatur. Sed in his omnibus Spiritus sanctus est præcipuus director , qui et *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus ,* suum affectum inspirans , qui est maximè opportunus. Quare S. Bernardus rectè dicit : *Devotionem esse linguam animæ , et qui illam tenent , optimè loqui et conversari posse cum Verbo æterno.* Licet etiam colloqui nobiscum ipsis , arguendo , increpando , excitando , ut sæpe in Psalmis : *Quare tristis es , anima mea ? Spera in Deo. Nonne Deo subjecta erit anima mea ? Surgam et ibo ad Patrem meum.* Sanctos etiam alloquemur ; tum gratulando ipsis bona sua , tum nobis similia postulando.

CAPUT III.

De Excellentia orationis.

Virtutes
Orat. PRÆSTANTIA apparet, quòd in ea exercentur tam sublimes actus, ut in præcedentibus capitibus ostensum est. Quare S. Chrysostomus eam comparat Reginæ cum amplissimo comitatu. Aliæ enim virtutes præcedunt, quibus præparatur anima orationi: fides, humilitas, reverentia, intentio pura. Aliæ comitantur, charitas, religio, devotio, intellectus, sapientia, aliaque dona Spiritûs sancti. Aliæ sequuntur: ardentia desideria, et exercitia virtutum, obedientiæ, patientiæ, temperantiæ, et reliquarum.

Oratio facit similes Angelis; Seraphinis, per ardentem amorem; Cherubinis, per scientiæ plenitudinem; Thronis, per altissimam in Deo quietem; Dominationibus, per dominium appetitûs proprii; Potestatibus, per imperium in dæmones; Virtutibus, per admirabilem operationem; Archangelis, per fortitudinem in arduis; Angelis, per obedientiæ promptitudinem; denique omnibus Spiritibus cælestibus, per sanctitatem et sapientiam.

Fructus.
Ser. 45.
1. Petr. 18.
Phil. 4. 7.
Ps. 84. 9. In oratione non ipse homo tantum cum Deo loquitur, sed vicissim Deus cum homine: *Locutio* autem *Verbi* (ut ait S. Bernardus) est *infusio doni*. Indè *lectitia spiritûs inenarrabilis, pax exsuperans omnem sensum*; Quare *audiam quid loquatur in me Deus, quo-*

niam loquetur pacem in plebem suam, et super Sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor.

Oratio est connexa cum omnibus virtutibus, ut Cassianus docet: quòd oratio perfecta sinè istis esse non valeat, nequè istæ absque oratione acquiri vel conservari possint, ex quo necessitas orationis commendatur. Oratio est finis omnium virtutum: quia per orationem inhæretur Deo, unione intimâ: quòd refertur quicquid boni in vitâ agitur. Ibi Deus reddit centuplum pro iis, quæ ipsius causâ contempsimus vel toleravimus, et arrham præbet vitæ æternæ.

CAPUT IV.

De Materia meditationis.

Materia. MATERIA est universè, quidquid divinitus revelatum est. Potest autem distingui, juxta conditionem meditantium, tripliciter. Nam aliqui peccatores sunt, sed cupiunt respicere: vel, si peccatum reliquerunt, adhuc subjacent vitæ prioris passionibus, quas mortificare desiderant; undè Purgativam adhuc Viam ingrediuntur. Alii, his superatis difficultatibus, profectui virtutum, et ampliori lumini cælestium acquirendo intendunt: quæ est Via Illuminativa. Alii denique progressi sunt ad familiarem et intimam cum Deo unionem, quæ dicitur Via Unitiva.

Vitæ Purgativæ convenit meditatio circa ipsa peccata: ut cognoscatur eorum multitudo et gravitas; tum dolor concipiatur admissorum, atque horror pec-

candi. Ad quem finem juvant quæ timorem incutiunt, qui est initium sapientiæ: qualia sunt, novissima nostra, mors, iudicium, et infernus, de quibus, ut de aliis, ad ritè confitendum, et ad justificationis gratiam percipiendam, agitur in prima parte meditationum. Id ubi incipiens peregit, quo etiam à reliquiis peccatorum purgetur, incumbet in meditationem mysteriorum vitæ Christi Domini, et maximè ejus infantie (de qua est secunda pars Meditationum), studens evadere quasi modò genitus infans.

Vitæ Illuminativæ quæ est jam purgatorum, et in virtute proficientium, convenit meditatio gestorum Christi per tempus suæ prædicationis, necnon Passionis obitæ. Nam proficimus agendo et patiando: utriusque documenta præbuit Christus eximia in vitâ et morte suâ; cujus conversatio fuit, ut S. August. ait: *Mira facere et mala pati*. De his tractatur in III. et IV. parte Meditationum.

Vitæ Unitivæ convenit meditatio tum Christi humanitatis jam resuscitatæ et glorificatæ, tum Divinitatis in Trinitate personarum, divinarumque perfectionum, quæ tractantur in V. et VI. parte. *Montes excelsi cervis, petra refugium herinaceis*. Alta Divinitatis juga petunt agiles, et expediti ab omni terreno affectu: imperfectis autem petra refugium. *Petra autem erat Christus*, ejusque Humanitas.

Istæ sex partes Meditationum sunt instar sex alarum Seraphim, quibus ad Deum attollimur; indèque purgati, illuminati, atque consummati, regredimur

In Ps. 49.

Ps. 107.
18.

Cassian.
Coll. 10.
c. 10.

ad perficiendos alios: quia non debemus profectu proprio esse contenti, nisi et alios juvemus. Deindè ita ex his Meditationibus aliæ aliis conveniunt, ut quis exercere se possit aliquando in omnibus, tametsi non eodem modo. Nam Perfectus ex quibuscumque colliget fructum unionis: Incipiens autem seu Proficiens, pro suâ necessitate, juvari poterit ex qualibet etiam Meditatione. Sed et Imperfectus potest aliquando assurgere ad actus unionis: ut et Perfectus timore concuti, ob admissa peccata. Et est varietas ingeniorum: ut quidam à suppliciis minuscè percellantur, ad detestanda peccata; magis autem ex consideratione divini amoris. Ordinariè autem, viâ incedendum est cujusque gradûs propriâ, et Meditationes adhibendæ accommodatæ.

CAPUT V.

De Ingressu ad orandum.

ANTE orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum. Huc pertinet præparatio certæ materiæ, et digestio in puncta: alioqui anima evagabitur per varia sine fructu. Licet autem sequi impulsus Spiritûs sancti, si quando trahit aliò à materiâ propositâ, dum non leviter fiat.

Primum igitur cogitabimus Deum præsentem, qui cum sit ubique, non acceditur ad illum passibus corporis, sed fide vivâ præsentie ipsius. Variè autem cogitari potest præsens, vel tanquàm mare immen-

Eccl. 19.
Materia
præpara-
ta.

Dei præ-
sentia.

sum me circumvallans et continens, vel tanquam intra me existens per essentiam, præsentiam, et potentiam. Et hoc est quòd ipse Dominus jussit: *Cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum. Pete secretum cordis, et occlude ostia sensuum tuorum. Quòd si in hâc representatione præsentia Dei, sentiat se homo affici singulariter, morari in ea licebit: ordinariè autem non, nisi ad se sistendum mente coram Deo; à cujus conspectu, in reliquo etiam orationis decursu, non est discedendum, ut monet David: Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper: sed præcipuè in colloquiis, quando effundo orationem meam in conspectu ejus, et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.*

Secundò exhibenda est profunda reverentia Deo præsentii, tum gestu corporis, tum animi sensu, semel, iterùm ac tertio flexo poplite, venerabitur illam majestatem, tantò majori jure, quàm id præstatur regibus terrenis. Dein etiam procidemus ad terram, exemplo Christi, qui preces supplicationesque cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro suâ reverentiâ.

Post hæc, in loco orationi designato genua flectam, et Cruce me signabo, præmittens illud: *Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos, Deus nos-ter, ne ab illis impediatur in orando. Tum invocabo SS. Trinitatem: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; in cujus virtute instituo orationem auspiciari. Sunt qui præmittant etiam confessionem gene-*

Oratio
præparat.

ralem: quia *Justus in principio orationis accusator est sui.* Et sunt qui ab actione gratiarum ordiantur, ut S. Basilius monet: in quo sequi licet propriam devotionem. Sed illud tamen ab omnibus servandum, ut aliquâ brevi precatione dirigatur præsens opus ad gloriam Dei, et postuletur gratia rectè perficiendi.

CAPUT VI.

De Difficultate meditandi, et de Distractionibus.

MEDITATIO, quæ est operatio mentis, et discussio propositæ materiæ, magnam habet difficultatem, ut absque evagatione fiat: de quo etiam Sancti queruntur. *Cogitationes meæ, inquit Job, dissipatæ sunt, torquentes cor meum.* Et David: *Cor meum dereliquit me.* Provenit autem ex diversis causis; vel à dæmone satagente impedire fructum orationis; vel ex conditione phantasie per se vagæ et volubilis; vel ab affectibus immortificatis, mentem ad se rapientibus, vel à curis sollicitantibus animam atque pungentibus; vel à remissione et ignavia; vel denique à defectu discursûs.

Universè oportet rem meditandam probè concipere: deinde circa illam expendere causas, effectus, circumstantias. Velut in mysterio Incarnationis, primò rem ipsam, prout fides docet, menti distinctè objiciam: deinde considerabo causam motivam tanti operis, quæ fuit bonitas et misericordia Dei, non

merita hominum : tum finem , ostensionem divinæ bonitatis ; et reparationem generis humani : postmodum fructus , justificationem , resurrectionem , et glorificationem nostram : item damna alioqui obventura : denique circumstantias loci , temporis , et modi , et qualem carnem et animam assumpserit . Cæterum in singulis punctis immorandum est , quoad fructus eliciatur , nec ad alia properandum . Et quia , cum à Spiritu sancto peculiariter impellimur , succedunt omnia ; oportet etiam , quando extraordinario illo ductu destituimur , per ordinarium gratiæ auxilium quod non negatur volenti , aditi , quantum possumus : qui conatus , ut minus habeat internæ consolationis , fortè plus habebit meriti , ob majus nostrum studium , et conflictus difficultatem . Aderit Christus *laborantibus in remigando* , et tranquillum faciet .

Matt. 14. 32.

Remedia.

Adversus evagationes et ariditatem spiritus juvant ista . 1. Humilitas ex cognitione propriæ infirmitatis , et confusione , quod ita cum Deo versemur . 2. Constantia propositi non admittendi ullam cogitationem alienam , conatusque repellendi ; exemplo Abrahamæ , qui à sacrificio abigere volucres perseveravit , donec extasi correptus , meruit de maximis divinitus edoceri . 3. Oratio , quæ petatur à Deo remedium . *Cor meum dereliquit me : complaceat tibi , Domine , ut eripias me . Et : Anima mea sicut terra sine aqua tibi . V elociter exaudi me , Domine : defecit spiritus meus .* 4. Fiducia , quod Deus aderit conantibus , cum ipse jubeat orare . Dicam : *Declinate à me , maligni , et scrutabor mandata Dei mei ;*

Gen. 15. 11.

Ps. 39. 13.

142. 7.

Ps. 118. 215.

et : *Venite adoremus , et procidamus , et ploremus ante Deum , qui fecit nos .* *Ps. 94. 6.*

CAPUT VII.

De quibusdam extrinsecis Adjumentis ad meditandum.

ETSI meditatio est opus intellectus , juvatur tamen ab imaginatione , linguâ , et sensibus . I. Phantasia , etsi alioqui impedit , cum vaga est , tamen confert vis illius ad repræsentandum intus rem per imagines , ut quasi præsens cernatur . Quare id erit faciendum in exordio meditationis , pro qualitate rei meditandæ . Ut si de inferno , cogitetur locus tanquam carcer , obscurus , arctus , profundus , horridus , ignivomus , quo detineantur damnati . Si de Christi Nativitate , specus ventis pervia , in quâ jaceat Salvator . Verum , qui difficulter efformant hasce imagines corporeas , potius abstineant , ne caput lædant : qui verò faciliè , et vehementer concipiunt , caveant tum à læsione capitis , tum ab elusione diabolicâ , quâ fit ut phantasma pro re accipiatur , et putetur divina ostensio , quæ est imaginationis propriæ figmentum .

Adminicula meditatio . I. Imaginatio .

II. Juvat lingua , sive oratio vocalis , ipsam meditationem , præcipuè in ariditate et distractionibus ; nam excitatur ad attentionem anima , et ad torporem excutiendum . Fit autem dupliciter : vel cum mens ex affectu prorumpit in verba minimè præme-

II. Lingua .

ditata, aut composita: vel cum aptam aliquam precationem ab alio compositam, in eum finem excitandi seipsum, assumit.

III
Sensus.

III. Quod ad sensus externos attinet, quidam sunt collectiores, vitatis omnibus objectis, oclusisque sensibus. Alii autem aspectu Cœli, aut piæ imaginis, vel etiam conventu pio permoventur, et motibus cæteris; ut tunsione pectoris, geniculatione frequenti, prostratione corporis, expansione brachiorum, statione. Alii aliter afficiuntur. Vitanda autem in publico, quæ insolita sunt.

CAPUT VIII.

De Examine faciendo super meditatione.

Quid exami-
nandum.

CONFERT multum ad fructum, ut super meditatione jam peractâ instituat exam. Id quod circa alias quoque orationes vocales, præsertim longiores facere, operæ pretium erit.

- I. I. Examinabo accessum ad meditandum: an præparata sufficienter materia; an præsentia Dei ante oculos studiosè posita; an opus illud purâ intentione in Deum direxerim, et obtulerim, gratiâ dignè perficendi postulâtâ. Quod si minùs præstiterim, dolebo, cum proposito emendationis.
- II. II. Examinabo progressum orationis: distractusne atque aridus, an collectus et devotus fuerim; an multus in discursibus, et parùm affectibus intentus; an bona desideria ac proposita in posterum conce-

perim: et quâ reverentiâ in colloquiis cum Deo me habuerim. Si quid benè gestum, Deo referam acceptum, gratiasque agam: quòd si minùs, ejus rei causam investigabo, ad removendum.

III. Examinanda sunt ipsa lumina in meditatione percepta, et affectus spirituales; dispiciendo, quòd ducant animam, et quales in ea pariant effectus; ut discamus varios spiritus discernere. III.

IV. Dispiciendum quâ ratione exequi valeamus, atque in praxim quamprimùm deducere, quæ intelleximus, nobis esse faciendâ. Nam arbor infructuosa excindetur: Justus autem erit tanquàm lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Cæterùm fructus meditationis esse debent, reformatio morum, vitatio culparum etiam levium, declinatio occasionum mali, et quarumvis imperfectionum, refrænatio passionum, victoria difficultatum in exercitio virtutum, superatio tentationum; studium laborandi, ac patiendi in iis quæ sunt proprii statûs, et vocationis accurata exercitatio; denique imitatio Christi, in charitate, humilitate, patientiâ, obedienciâ, crucis amore, mortificatione, cæterisque virtutibus; ac præsertim, quâ quisque maximè indigere se sentit. IV.

Ps. 1. 3.
Fructus
medit.

CAPUT IX.

De variis orandi modis.

QUÆ est hominis infirmitas, ut spiritualium rerum tædium facile concipiat; ad illud vitandum excogitati sunt à viris sanctis modi orandi. Tres S. P. noster Ignatius quàm accommodatissimos tradit.

- I. I. Modus est, quo Decalogi præcepta, aut vitæ capitalia, aut internæ animæ potentæ, ipsique sensus exteriores pro materia meditandi assumuntur. Qui modus convenit viæ purgativæ, ac de illo agitur in I. parte Meditationum, ubi propriæ de iis capitibus considerationes proponuntur.
- II. II. Modus, cùm psalmi alicujus versiculus, aut alia Scripturæ sententia, aut etiam hymni ecclesiastici pars, ad meditandum proponitur, eliciendo ex eâ spiritum fructumque latentem. Itaque singula verba pensitanda sunt, et quò spectent, considerandum. Nam si Deus in proposita sententia loquatur homini, aut docet, aut præcipit, aut corripit, aut terret; vel contrà, erigit, solatur, allicit: et pro affectu flectendus est animus, Deoque subjiciendus. Si autem homo loquatur Deo, ut passim in psalmis, aut laudet et gratias agit aut petit peccatorum veniam, vel liberationem à malis, aliave beneficia. Induendus porrò est ille affectus, quem verba præ se ferunt; vel ejusmodi sententia debet assumi, quæ conveniat affectui, quem volumus in nobis excitare. Convenit

Caput X.

iste modus viæ illuminativæ, quæ scrutatur mysteria divinorum eloquiorum, ad proficiendum in spiritu. Praxis tradetur in II. et II. parte Meditationum, circa orationem Dominicam, et salutationem Angelicam, et alias Christi Domini sententias, quæ in primis efficaces sunt. Nam *labia ejus lilia distillantia myrrham primam*. Et ipse de se: *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt*. Quod Petrus agnovit, cùm dixit: *Verba vitæ æternæ habes*.

III. Modus constat variis affectibus per intervalla respirationum: non enim hæretur diutiùs in verbo aut parte aliquâ sententiæ, nisi quantum inter unam aut alteram respirationem intercedit; veluti carpendo cursim ex propositis fructum, et alium post alium affectum concipiendo, et quasi jacula in Cælum jaciendo. Quod exprimere videtur David in illis verbis: *Os meum aperui, et attraxi spiritum; quia mandata tua desiderabam*: quasi ad singulas attractiones funderet orationem. Convenit hic modus viam ingressis unitivam.

CAPUT X.

De supplendo Labore meditandi.

TRIPLICITER se habent homines in meditando. Quidam plus ratiocinationi dant, minus affectui: alii plus affectui, sed cum ratiocinatione: alii simplici intuitu rei in affectus assurgunt: quæ est contemplatio. Verùm ad hanc ferè non perveniunt, nisi qui in

Simile.

meditando et inquirendo se diù exercuerunt. Velut cum puella nubere volens, de sponsi conditione multa exquirat; sed omnibus compertis, ad solam illius mentionem, aut subitum conspectum, tota exhilarescit, nequicquam expendens singula, ob quæ est sibi amabilis, sed ex præconceptâ cognitione subito exardescens. Ita, qui diù multumque per meditationis studium in Christi Domini gesta inquirunt, et deprehenderunt, qualis, quantusque sit; tandem absque alio discursu, ad quamvis occasionem, in eum rapiuntur: atque ita de aliis meditationis argumentis. Quia tamen in nobis facilius delectentur spiritualium rerum imagines, oportet etiam exercitatos viros renovare subinde ipsas meditationes, quibus foveatur ac confirmetur notitia illa habituata, lumenque rerum divinarum.

Dei boni-
tus.

Cæterum solet Deus quosdam etiam minus in meditando antea versatos prævenire in benedictionibus suis, et speciali lumine perfusus subito illustrare, atque ob oculos intuendum ponere, undè in varios affectus incalescant. Idcirco, qui debilitate capitis, aut alio impedimento prohibentur meditationi intendere, hanc rationem poterunt servare: ut, propositâ sibi aliquâ certâ materiâ, cœleste lumen implorent, quod suppleat conatum laboremque meditandi: præsertim, quia ex præterito usu accedit semper aliquod juvamen, cum non planè sint res ignotæ, et nunquam antea perpensæ. Aderit Deus, qui non deserit in se confidentes. Triplex autem notitia universè spec-

tatur, sui ipsius, Christi Domini, Dei ac ejus perfectionum et operum: quæ notitiæ ita sunt connexæ inter se, ut ex aliâ in aliam faciliè fiat gradus inter meditandum: et habent singulæ proprios quosdam affectus.

CAPUT XI.

De extraordinariis orandi Modis.

ORATIONIS donum à Spiritu sancto est, illic promissum: *Effundam super domum David et super Zach. 12. habitatores Jerusalem Spiritum gratiæ et precum: nam, 10. Nescimus quid oremus, sicut oportet. Non tamen uno Rom. 8. 26. modo Spiritus sanctus docet orare: ut valdè sit reprehensibile, quod quis velit, omnes alios tenere eum modum, quem ipse probat, ac sequitur; cum Spi- Sap. 7. 22. ritus sit unus et multiplex.*

Porro generatim modi orandi sunt duo, alter ordinarius, de quo hactenus dictum est; alter verò extraordinarius, isque multiplex. Sed hunc nec postulare, nec expetere quidem licet, quòd id sit præsumptionis, et periculo illusionis expositum, *trans- 2 Cor. figurante se diabolo in angelum lucis: oblatum autem 11. 14. à Deo, submissè et cautè oportet admittere, servatis documentis, quæ III. part. Medit. 19. traduntur; et V. part., ubi de apparitionibus Christi. Juvat tamen quædam non ignorare ad hunc modum pertinentia.*

Est igitur sciendum quòd quemadmodum in parte animæ sensitivâ habemus quinque sensus exteriores,